Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2095
Quelle:
Copyright:

968. De Mendicantibus ſentiebat, ut *Guilelmus de S. Amore*, hinc reprehenſus a *Johanne* XXII. ad quem delatus erat, docuiſſe: Paſtores habere poteſtatem immediate a Deo, et Conſtitutionem *Benedicti* XI. *Inter cunctos* &c. de Privilegiis Mendicantium non eſſe Juris interpretationem aut declarationem, ſed ſubverſionem. Plura vide, ſi lubet, apud doctiſs. *Launoium* ad Can. *Omnis utriusque Sexus* &c. *Opp.* T. I. c. 5. p. 270. *Foll.* 33.

DLI.

471 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 159. 4. diverſa Opuſcula diverſis manibus exarata complectitur hoc ordine: I. *Aureum ſpeculum de titulis beneficiorum eccleſiaſticorum.* Ita praevie et in calce. In Editione vero *Eduardi Brown Append. ad Faſcic. Rer. Expetend. et Fugiend. Lond.* 1690. p. 63. f. *Aureum Speculum Papæ, ejus Curiæ, Prælatorum et aliorum Spiritualium.* Dialogo inter *Petrum* et *Paulum* conſcriptum Opuſculum *Tractatibus* III. in *Capita* tributis conſtans ita incipit: *Reuerendiſſimis in chriſto patribus et dominis dominis Sacroſancte Romane ac vniuerſalis eccleſie Cardinalibus — P. minimus et vtinam inter veros diſcipulos Ihesu chriſti planctum pro affectu et dolorem. Heu corde anxius qua voce intonare ipſe debeam quis ſcribendi ſtilus quisve modus eloquencie explicare ſufficiat, in cor hominis non aſcendit tantam peſtem* &c. Jam ex his adparet *Brownii* Exemplum noſtro collatum variare, quod liquidius fit per decurſum. Ita mox ille *Papa* pro *Ipſa* (ſcil. Curia) *intus murmurant* pro *de hoc murmurant* legit. *Tract.* I. c. 2. Archiepiſcopus, quem ille divinare nequiit, *Bituricenſis* eſt. *Tract.* II. c. 1. pro *etſi iniuſtas*, ubi aqua ei haeſit, repone *Summas.* Scriptum cetera ſolidum et acre in Abuſus eccleſiaſticos ſic terminatur: *Audax manus ad calamum ſupra vires ſcribentis* (Brown ſcribens) *arripuit negocium. Anno currente natiuitatis eiusdem domini Milleſimo CCCC° 4°. Et eodem Domino tunc dirigente ſic compleuit* (Br. compleverit) *conſulens toto deſiderio obviandum malis vniuerſis pro eccleſie concilio generali &c.* Ubi *pro* redundare videtur. Vides Noſtrum in eorum numero, qui Conventum generalem Eccleſiae exoptabant, tandem *Conſtantiam* anno 1414. indictum. An ſub litera P. lateat *Petrus de Alliaco*, an *Joh. Gerſon*, an revera Paulus quidam Anglicus, adfirmare non audeo. Confer *Cod.* praeced.

II. *fol.* 49. *Tractatus*, ut in praefixo *Codici* Elencho notatur, *contra Communionem Calicis.* Conſtat VIII. *Capitibus* et incipit: *Spiritus manifeſte dicit quoniam in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide* &c. Finit vero: *me conſeruare dignetur in ipſa fide catholica per quam poſſim cum omnibus*